



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

4^o 3223 (9)

3

Q. D. B. V.

DISSERTATIO POLITICO-MORALIS

De,

SVMMO POLI- TICI BONO,

Quam

Auspicio Divini Numinis & Amplissimæ

Facultatis Philosophicæ in Inçlyta hac Academia

Lipsiensi, indultu

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi ac Praclarissimi

DN. M. JOH. BALTH. WERNHERI,

Rotenburgo-Franci,

Domini, Fautoris, ac Præceptoris Sui

plurimum Venerandi

publicè exponit

& placidæ Eruditorum disquisitioni

assistit

AUTOR

JOHANN. PETRUS GÖSELIUS,

Byrutho-Francus, J. U. Stud.

Ad diem 23. Octobr. A. C. M. DC. XCVII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ, Literis JOHANNIS GEORGI.

<36616394970016

<36616394970016

Bayer. Staatsbibliothek



P R Æ F A M E N.

Nulla est inter Philosophos Morales tritior, quā de Summo Bono materia: sed & iis, credo, nullā magis obscura. Vix mihi, loquor ingenuē, à risu tempero, cū vastos de hoc argumento libros aspicio. Quā infinitis enim, quæso, & inutilibus rixis lacerant, quod vitam justè & sanctè, ubi plerosq; illos acriculos deficere videas, agendo rectius sanè & prudentius multò quæsiuerint? Non mihi is animus, ne erres. Quamvis imbecille ingenium nondum tamen ita mihi contabuit, ut ad tam minutas & infructuosas quæstiunculas labore se prolixo damnet. Quò enim illa grandia & verbosa, & tot vanissimis libris referta volumina? Vereor, ut quisquam ab eorum lectione melior aut sapientior discedat. Et pene dixerim, egregiam atq; ad usum vitæ pertinentem disciplinam ab illis ex schola inspeculativam penitus mutari. Non multiplex disputatio, sed directa quædam iudicii norma civilis vitæ vera directrix est. Aliud mihi longè,

& quod confido, utilius institutum. Bonum Politici maximum breviter designabo; præcepta deinde, quæ ad illud ducere videtur, & quorum in civili vita manifesta est utilitas, copiosè tradā. Quod tamen si nondum diluet fastidium tuum; saltē minuetur per hoc, quòd nō meo mihi arbitrio dilatandum hoc argumentum summi; sed Magnorum Virorum, quos Summos Patronos veneror, jussu; cui dum paream, malo in me desiderari ingenium, quàm si id non faciam, obsequendi studium. Neque est, cur pluribus te velim; & jam ad ipsam tractationē progredior; quæ ut benè feliciterque procedat, Divinum Numen in auxilium submisè advoco.

§. I.

Propositum de Summo Hominis Politici Bono Thema persecuturi desectemus sub initum paulisper à communi via, omisāq; terminorum tanquam invulgas notorum explicatione supervacaneā, rei ipsius statim tractationē suscipiemus; nisi quòd circa vocis Politici acceptionem quædam nonendus videaris. Πολύσημος nimirum vocabulum hoc est, & in varios significatus, partim præeunte usu, partim Etymol. jubente, trahi potest. Consuetudo loquendi nunc in genere Politicos vult eos omnes appellari, qui ad seculi fraudes ingenium aptare sciunt, sive publico aliquo vin Republica munere emineant; sive inter plebejos repant; nunc vocem hanc ex parte amplificatam, & ex parte restrictam illis literatis at tribui desiderat, qui jurisprudentiæ operam addicunt, eosq; sic illis cōtradistinguit, qui aut in Sanctis studiis, aut Medicina, aut Philosophia defudant. Vim etymi autem si excussum eas, deprehendes, vel latè eam accipi posse, ut in genere ad omnes homines quadret, cum omnis homo

homo sit *ζῶον πολιτικόν*, uti habet Philosophus. Vel aliquantò strictius, ut ambitu suo non nisi eos comprehendat homines, qui in Reipublicæ alicujus societatem coierunt. Nobis hoc loco specialior adhuc ejus conceptus placet; quatenus nimirum vox hæc eos solùm complectitur, qui Rempubl. administrant; dum vel ad ejus clavum sedent, ut Princeps, vel huic suis consiliis adfunt, aut alia munera ad Reipubl. administrationem pertinentia obeunt. Hos enim *κατ' ἐξοχήν* Politicos vocandos esse, nemo inficias, credo, ibit.

II. Ne verò quem ambiguitas hujus termini complexi, Summū Bonum, in errorem inducat, libet significationi ejus, quam hoc loco attendimus, suos limites designare, extra quos qui exerrabit, sciet, committi ab ipso transitum, quem vocant, *εἰς ἄλλο γένος*. Nimirum non est propositum nobis, agere hic de Summo Bono absolute & simpliciter tali, quod haut dubiè Deus est, vel potiùs intuitiva ejus cognitio respectu intellectus nostri, & fruitio in ordine ad voluntatem, in quibus beatitudo æterna formaliter consistit. Hoc tu ex priori fonte, Codicem Sacrum intelligo, hauri; & eò avidius quidem, quò cæteris bonis hoc majus est & diuturnius. Sed neque II. tractatio se nostra effundet ad Bonum illud Summum considerandum, quod est Politici; ut homo est. Moralistarum hîc volumina adi; & infinitas eorum circa id lites mirare. Deprehendes autem, plerosque illud in operatione secundum virtutem quærere, quod quàm rectè fiat, ipse scilicet videris; Ego certè nullà persuasionem adducar, ut credam, pro Summo hominis Bono habendum, cujus possessor possit miser & infelix, & suâ sorte non contentus esse. Quòd si verò quis operationem hanc secundum virtutem maximam esse inter bona hominis singulatim spectata pugnabit, libenter annumam; sed id Summum hominis Bonum ex usu hujus vocabuli, communiter à Moralitis comprobato vocandum esse, valdè negabo; propterea quòd per se, & solitariè virtus, bonis omnibus aliis destituta nullam capax est in suo subiecto *ἀνάρκειαν* producere; quam tamen inter Summi Boni requisita ipse numerat Philosophus. Sed longum est, rem illam ex dignitate persèqui, & supervacua videtur hæc, quam circa rem, quæ mei instituti non est, necesse, mora. Progrediamur nunc & Summum Politici, quatenus talis, seu quatenus Rempubl. administrat, Bonum rimemur.

III. Priùs autem, quàm viam hanc ingrediamur, hætere in principio paulisper libet, & indagare, an tale, quale investigamus, detur bonum. Frustra enim, & absurdè quis in rei naturam inquirat, de cuius existentia non omnis ipsi dubitatio exompta est, Neque vero hic anxio labore opus esse puto, ad argumenta eruenda, quibus, taledari, ostendam, Ipsa varietas bonorum, quæ appetuntur, quibus cura Reipubl. est commissa, eorumque gradus, dubitare non sinunt, esse aliquod Politicorum bonum quod cæteris antistat, adeoque eo respectu Summum vocari queat. Eo ipso enim, dum quis largitur, bona illa paria non esse, sed unum altero majus & præstabilius, simul fieri cogitur, dari ergo aliquod bonum, cui nullum in Politico mereatur præferri, & proinde in hoc genere summum. Illud autem quale sit, age, nunc videamus.

IV. Hoc verò dum facio, ecce? mihi ante oculos plurimorum & tantum non omnium Politicorum catervam, quæ gloriam, gloriam & nominis famam! conclamat. Ita est; videmus, nullum ex omnibus bonis majori studio ferè illos excelsos venari, quàm nominis immortalitatem. Et profectò trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maximè glorià ducitur (Cic. pro Archia.) Hinc non contemnenda ea, & imprimis Politicis nostris, quibus præcipua ad famam dirigenda. Tac. Annal. 4. 40. 2. Nam non vulgus solummodò sed & ex iis multi, qui sapientes vocari volunt, virtutes metiuntur ex fama, neque eas alià veneratione prosequuntur, nisi quam nominis magnitudo suggestit. Sed & ad augendas res seu privatas seu publicas quid ea non confert? In bellis præcipuè, quæ famà stare & ab ea maximum momentum accipere haud incongruè nitidissimus Historicorum asserit. Q. Curtius III. IIX. Parcius triumphos terrarum ille Domitor egisset; neque in India tam latè victricia signa effudissent Hispani; nisi tantorum successorum præcipuà hæc adjutrice usi. Hinc & ille Politicorum communis Doctor unam Principibus insatiabiliter parandum censet, prosperam sui memoriam. Contemptu enim famæ, contemni virtutes, prudenter monet. Tac. Annal. 4. 38. 7. Et quæ illis, qui ad gubernacula Reipubl. sedent, vigiliarum, laborumq; diurnorum nocturnorumq; præstantior quærenda merces, quàm hæc perennis, & nullis temporum spatii terminanda fama, qua nullum præclarius, nullum nve amplius parti-

patrimonium posteris relinqui potest? Ausculta Isocratem, quos sti-
 mulos suo Nieocli addat. *Crede, inquit, mihi longè præstantius est, li-
 beris famam honestam, quàm magnos opes relinquere. Hanamque ca-
 dūca sunt & mortales, illa contra immortalis, & aterna. Famā opes
 parari possunt; pecunia bona fama nunquam emitur. Divitiæ impro-
 bitis contingunt; gloriā nemo parabit sibi, nisi bonus, & virtute præ-
 stans.* Et alio idem loco: *Qui ea agit, unde non sibi laudem decusq;
 in præsens inveniat modò, sed ingentem quoque ad posteros transmittat
 gloriā, is thesaurum possidet, & pulcherrimum & tutissimum.* Vide,
 ut os illud aureum, & immortalitatis per omnem vitam cupidissimum
 consentiat. Ex omnibus, ait, præmiis, si esset habenda ratio præmio-
 rum, amplissimum est gloria, quæ brevitatem vitæ posteritatis memo-
 riā consolatur, cujusq; gradibus homines in cœlum videntur ascende-
 re. Sed videntur; Noster autem Politicus alios sibi gradus fabricet,
 quibus in tam sublimen ascendat locum. Lubrici enim illi sunt, &
 qui insistentes sibi pedes sæpè fallunt. Sed fac firmam esse &
 quàm ditissimè perennantem gloriā. An vero in hac S. Politici
 Bonum quæres? Nihil potest esse verè bonum, nisi quod in nobis in-
 est, & quod à nobis ipsis petimus. Quid enim, Politice, an tua felici-
 tas ab aliorum sermone pendebit? Quàm verò is inconstans, & vari-
 us, quamq; brevis? Sed & in indignos quàm sæpè cadit? ut pote quæ
 haud rarò fortunæ potiùs quam virtutis est beneficium. Q. Curt. IIX.
 X. 18. Fuge, fuge, sperniciosam cupiditatem hanc; nam & animi li-
 bertatem eripit, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.
 Cic. Off. I. XX. Themistoclem adi; à somno illum hæc ægritudo
 arcet, nec unquam esse mente tranquillâ sinit. Tu feliciorē te & sa-
 pientiorē singe. Vera enim & sapiens animi magnitudo, honestum
 illud, quod maxime natura sequitur, in factis positum, nō in gloria ju-
 dicat; principemq; se esse mavult, quàm videri; etenim qui ex errore
 imperitiæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus.
 Cic. Off. I. XIX. Neque enim hic moratur judicia vulgi, sed sua o-
 mnia in se uno ponit. Et audi de hoc plebis judicio, non conte-
 mnendum judicium Plut. Lib. de Educ. puer. *Τοῖς πολλοῖς ἀρε-
 κτων, ait, τοῖς σοφοῖς ἐστὶν ἀπαρεσκεῖν.* Et rectè quidem sentit. Hu-
 millium enim illorum veneratio sæpè tam facilè in vitiā fertur, quàm in
 virtutes; vagum est fama cœcumque numen; nec aqua lance cuique
 morta-

mortalium laudem tribuit aut vituperium. Cave igitur, cave; lubrica hæc via est, ne forte affligaris; sed &, ne alios affigas lapsu tuo. Cic. Off. I. XIX. Facillimè enim ad res injustas impellitur, ut quisque est altissimo animo & gloriæ cupido. Neque verò solida est, aut vera; sed fucata, simulataque gloria, cujus non sola procreatrix virtus; hujus enim lumen ut obscurum esse diu nequit; ita nihil simulatum fictumque; in diuturna laude versatur. Tu hoc præceptum cape; certissimam ad gloriam viam esse, quæ vero nititur, hoc est, si talis sis, qualem te haberi cupias. Virtutis te vis censeris Studiosum? hanc sequere, gloriâ generosè spretâ. Quanto magis enim solam virtutem respexeris, neglectâ illâ, tantò constantius, crede mihi, ea te sequetur. Quòd si contra famam captas, virtute spretâ; neque hanc habes; nec istam consequeris. Talem te esse volo, qualem Agricola suum prædicat Tacitus, qui ne famam quidè ostentandâ virtute, aut arte quæsit; qualem Catonem Vellejus lib: 2. laudat, quem, ait, hominem fuisse virtuti simillimum, & per omnia ingenio Diis, quàm hominibus propiorem, quique nunquam rectè fecerit, ut facere, videretur, sed quia aliter facere non poterat; cuique id solum visum sit rationem habere, quod haberet justitiam. Præclara sanè vox, & illius viri gravitate digna. Major à tali mente felicitas, quàm à summa gloria. Nondum persuadetur tibi? Eam ergo, si libet, tibi habe; nos aliud bonum investigabimus.

V. Quale vero erit? Potentia fortassè & in quam plurimos imperium? Ita sanè videtur. Superbum enim elatumque animal homo est, & imperii naturâ avidum. Vetus est & pridem insita mortalibus potentia cupido, & est ea cunctis affectibus flagrantior. Mirantur plerique illum splendorem, & ad sublimem istum apicem suis votis contendunt. Liberè sed verè loquor. Magni ferè animi index hæc est cupiditas. Cùm in summis splendidissimisque ingeniis plerumque exstant honoris, imperii, potentia, gloriæ cupiditates. Cic. Off. I. IIX. Stilponem Philosophum consule; quàm hic profcientia fasces, & contemplatione imperium mallet, quò generosæ menti omnia referenda censet? Omnia enim esse Regis. Seneca VII. Ben. 4. Alexandro Magno quis alius præter famæ & imperii magnitudinem scopus? Q. Curt. passim. Julio Cæsari hæc cynosura, quam unice spectabat; hæc norma, juxta quam actiones suas omnes & vitam exigebat; qui &

ausus illo Euripidis frequenter uti: Si violandum est jus, regnandi
 causa violandum est; aliis rebus pietatem colas; cui non abfimile di-
 ctum, quod Polynices apud Senecam adhibet, cum pro regno, inquit,
 velim patriam, penates, conjugem flammis dare. Sed ô miserum te &
 vanum, si hoc S. B. putas! Quid enim imperium est, nisi perpetua ali-
 enæ salutis cura? videlicet verum illud & justum, non quod tyranni
 gerunt. Detrahe, quæso, purpuram, detrahe alia, quæ inspeciem
 Magistratus ornant, videbis sub istis insignibus ingentes latere mole-
 stias, ut vocat Cicero, Romani eloquii decus. Quid enim? volupta-
 tem tu aut quietem in illo fastigio quæris? Apage imprudens. No-
 scis, quid mali sit, imperare. Labor est; & talis, quo nullus difficulti-
 or, aut majores vigilas laboresq; desiderat. Non gemmas in coro-
 na, sed spinas respice, quæ illam implicant. Non tam ad auream
 messem, quod Stratocles & Dramoclidæ censent, quàm ad Hercule-
 um & vel ipso Atlante gravius vocatur onus, cui Reipubl. defertur
 cura. Sed & quàm incertus, & lubricus est iste apex? cum tam faci-
 le de suo axe præcipitet fortuna, quàm in eum attollit. Cæca enim
 est hæc rerum domina, & res mortalium pro libidine versat volvitq;. Hunc
 ex sterquilinio eruit, & in sublimi locat, illum sceptro superbum
 ad infima deturbat. Petrus Canæus Orat. X. Diu crescunt magnæ
 arbores; unâ horâ ex stirpantur. Caduca hæc, & fragilia puerilibus-
 que consentanea crepundiis, quæ vires atque opes humanæ vocant,
 Val. Max. l. 6. cap. ult. cum nihil tam firmum, cui non sit etiam ab in-
 valido periculum; ferrum rubigo consumit, & Leo aliquando mini-
 marum avium fit pabulum. Q. Curt. 7. 8. 14. Nec incerta solum hæc
 fors, sed & nulla ferè est, & quæ bonis privatorum caret. Exclaman-
 tem Politicum audi: Ô miseram potentiam, in qua raræ felicitatis est,
 ad bona privatorum pervenire! Barcla; Arg. L. II. c. XIII. Philippum
 IV. Regem Hispaniæ aspice morti vicinum; obscuram & pauperem
 vitam egisse vellet; & infimam conditionem folio atque purpuræ suæ
 anteponit. Intelligit, sed serò, quantum æruginis sub tenui dignita-
 tis nomine lateat, ut loquitur Seneca. Aulas circumi, & miraberis o-
 nerosam atque variam excelsorum illorum, quos tantoperè felices
 prædicamus, sortem. Sed nullibi illustria magis exempla, quàm in
 Anglia, quæ huc adducere longum est; tu ea ab historicis ipse pete.
 Lydios etiam Phrygiosq; conjuges, quos nitidissimus Barclajus indu-
 cit,

cit, contemplare; vel, si lubet, Tragicas Eransci scenas spectatum; & reverteris, credo, sopita animi illa tui cupiditate; contemptoq; hoc Summo multorum Bono. Nec opus est hic plura; cætera nunc exequor.

VI. Indignam rem! Tam humiles & spurcos animos sæpè Reipubl. præesse; audio enim quorundam inter eos vocem, qui corporis voluptatem Politico in hac vita S. B. esse, & hinc unicè quærendam clamant. Pecudum illa vox est, non hominum. Horat. lib. I. Od. 34. Sed quid ajo? Non hominum esse, quæ Epicuri, Summi & acutissimi Philosophi autoritate firmatur? sed esto. Non autoritas, sed ratio veritatem constituit. Et quid ad eò insolens aut ineptum, quod non ab aliquo sit Philosopho dictum? vel solum Machiavellum respice; quid in ejus acumine & ingenio desideres? is verò quàm impiam & absurdam Philosophiam, Reipubl. obtrudere, ausus est? Quare corporis voluptatem contemni & rejici oportet. Quippe quàm nulla capitalior est pestis, & quæ omne ferè ingenii lumen extingvit, uti Architas Tarentinus ait, cujus verba relata vide apud Cic. Cat. Maj. c. XII. Quid ergo? Te felicem prædicem, voluptuarie? Imò improbo & stulto, & inertem nemini bene esse potest. Te beatum, te florentem putas? & tæx te tamen libidines torquent; dies noctesq; cruciaris; cui nec sat est, quod est, & id ipsum, ne nò sit diuturnum, times. Cic. Parad. III. Sed quid hic moror, atq; cõtèdo tecum in indigno argumento, quod & aliàs totis voluminibus est à sanioribus Philosophis explicatum? Quare te relinquo, cœno tuo sordibusq; immersum, & cum Xerxe, Nerone horumq; similibus novis quotidie voluptatibus imminentem; & ingemiscens saluti Reipublicæ, quæ sub talis Rectoris cura graviter laborat, viam capeffo longius.

VII. Sed ecce! dum propero hinc, nova res excipit admirationem meam. Video enim è Politicis nonnullos pallido & tristi vultu inopes atque divitijs intento; ad quos etiam tanquam centrum, omnes suarum actionum lineas derivant. Hoc ipsis S. B. est, & planè Numen, cujus Majestatem sanctissimè adorant. Hinc & eorum prima ferè vota & cunctis notissima templa, divitiæ ut crescant. Juv. sat. 10. & Seneca. Ep. 95. Venalia ipsis omnia jura; & bono & honesto opes potiores sunt. Sallust. Jugurth. 8. 1. Detestanda malignitas! sed & dementia extrema! Doleo vicem tuam, miseret vane; si
hic

hic maximum tuum bonum judicas sicum esse. Quid enim ad felicitatem illa externa, & si verum amas, ne quidem tua? Nihil enim neque tuum est, neque cujusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Animus oportet tuus se judicet divitem, non possessiones tuas: Sed quid necesse hic frustra mores, Sapientumque; in notissimo argumento sententias cumulo? Tu si nondum nuditatem S. tui Boni agnoscis, ipse eorum libros, & præcipue Ciceronis atque Senecæ scrutare; illi, confido, pudendas has & noxias animi tui tenebras dispellent. Ego me ad meliora converto.

VIII, Quodnam verò tandem illud Summum Politici bonum erit? Tranquillitas fortasse animi, nullius externi boni desiderio labefactata? Sed hoc omnium hominum, ut talium, esse contendimus. An ipsius animæ cum Deo conjunctio, & firma in ipsum fiducia? Sed id homini, ut Christiano, convenit; Reipubl. salus, omnium maxime videtur esse. At enim, hanc homo ut civis sibi pro Summo Bono capit; quod hinc latius aliquando, quam nostrum fert institutum, patet. Quale vero tandem illud, quod indagamus, erit? Dicam tibi; Est constans & firmus habitus actiones suas ad Reipubl. salutem atque commodum directò exigendi. In habitu illud pono; Et rectè. Quodcumque enim bonum homini proprium est, ut hoc Politici, in operatione animæ rationalis querendum est. Nec verò qualemcumque, sed constantem & firmum requirimus. Nam qui adhuc vacillat; nec satis animi contrarios motus subigit; nondum in censum hunc venire potest. Sed nec determinamus an intellectus, an voluntatis habitum velimus intellectum; cum ad utrumque is referri possit. Intellectum enim respicit, quatenus in eo supponit cognitionem eorum, quæ ad actiones juxta normam publicæ utilitatis instituendas, sunt necessaria: directò voluntatis autem est habitus, quatenus in ea adesse debet firmum & efficacem propositum agendi, prout salus atque utilitas Reipubl. desideraverit. Differentia specifica desumpta est ab objecto hujus habitus cum materiali, quod Politici sunt actiones; non omnes illæ quidem, sed quos Reipubl. partis, quam administrat, ratio desiderat; tum formali, quatenus videlicet actiones illæ ad salutem & commodum Reipubl. metiendæ. Directò inquam. Nam & alias cæterorum civium actiones ad hunc scopum collimare debent; Sed id indirectè non directè; cum plerumque interveniat aliquis alius earum actio-

actionum immediatus & principalis finis. Illum etiam dictis limitem pone, nisi actiones ad publicum commodum directæ, alii juri superiori repugnaturæ sint; ut pote quæ transgressio non potest non vulnus aliquod imponere conscientiæ, cum quo Summum B. stare non potest.

IX. Virtutem autem hanc Politicam quis dubitet Summum B. esse? Quod si ambiguum esse posset; vel ipsa Philosophi requisita, quæ ad S. B. vult concurrere, huc applicatum irem. Sed facilis labor est; hinc tibi relinquo eum; periculum fac; & videbis, ad amissum quadrare singula. Quamobrem si quis Politicorum ita affectam mentem gerit, ut omnes actiones suas ad salutem Reipubl. vel conservandam vel reparandam dirigat, ut omnem sapientiam suam, consilia, cogitationes, nervos, vires denique omnes in eam impendat, ut nullam spem aut metum ab hoc tramite se dimovere sinat, is demum de S. B. possessione verè gloriari potest. Floret Respubl? Gaudebit ille, suis eam consiliis stare; vel, saltem aliqua ad illum florem se contulisse. Inclinator adversis rebus? Dolorem huic omnem absterget, quod videbit, operam se dare, quantamcunque potest, ut eam sistat. Colabitur penitus, nec ullis modis ruina fulciri potest? At huic satis ad animi tranquillitatem erit, carere culpâ, suisq; consiliis occasione invigilabit, quâ res everfas strenuè restituat.

X. Delineavi tibi Summum Politici B. Nunc age, colores quibus hanc in te imaginem rectè & plene exprimas, si libet, cape. Neque verò me hic minuta omnia persecuturum expecta; quod vetat pagellarum præfixa paucitas. Ibo tantum per summos apices, & gradus, qui ad hoc bonum ducunt, non nisi è longinquo, sed tamen, quantum sat est, indicabo. Ex parte intellectus sapientiam Politicam requiro, hoc est, cogitationem earum rerum, quæ publico salutare sunt; per quam quis præsentia ordinare, futura prospicere novit. Absque hac si est; quomodo Reipubl. consules & actiones tuas ex ejus utilitate verè æstimabis? Tragici illud dictum cogita: *πολλῶ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας πρῶτον ὑπάρχει*. Nemini aditum ad Summum Bonum, nisi per hanc viam patet. Tres autem fontes sunt, ex quibus potissimè cognitio hæc manat; experientia, historia & doctrina. Ex illo purissimæ aquæ, sed nimis lentè fluunt; imò destillant; neque eas nisi in provecta ætate expecta. Sed tamen si non magna, saltem aliqua experientia ad res civiles apprimè est necessaria. Quam

si

si nullam planè possides; quæso, ne attinge Rempubl., ne illa tecum
 ruat; & perveniendi ad S. hoc B. spes tibi decollet. Ex altero fonte,
 Historia nimirum avidè, & quàm potes, frequentissimè hauri; atque
 ita habe, per usum rerum felix esse, & certum, sed nimis longum ad il-
 lam cognitionem iter; per historiam autem breve, jucundum, & hinc
 à plerisque tritum. Profectò exprimi satis non potest; quàm mirè a-
 nimum Reipubl. olim à consiliis futurum excolat historia, & quàm
 proficuum Politico sit tale cum mortuis & absentibus commercium.
 Plurium seculorum res gestæ brevi tempore innotescunt; aperitq; se
 omnium ferè sapientum, qui nos præcellere, sapientia, quot heu! vi-
 giliis & quàm longo usu ab ipsis comparata. Hos tu, velut consilia-
 rios, cum illo Sicularum Rege adi. Subministrabunt tibi lucem, quàm
 in caliginem negotiorum utatis; viam, quam tutò insistas; insidias,
 quas cautè evites. Dubitas adhuc, fidem habere verbis? age; excute
 nostrorum temporum graviora negotia; vel unum da, cui simile non
 possit ex historia referri. Nimirum haud vanum est iudicium eorum,
 qui novi planè nihil hodiè putant, accidere, sed repeti tantùm ea, quæ
 olim gesta. Sed non promiscuè historicos evolvas, ne erres; hinc enim
 multi peccant. Cave eos, qui ex favore aut odio laudem & vi-
 tuperium dispensant. Fallax ita narratio magis confundet te, quàm
 juvabit. Lipsium hinc audi; neminem Historiarum à Politico vult le-
 gi; nisi qui tribus notis, veritate, explanatione atque iudicio insignis
 est. Prudenter sanè; & quid moror? Ad illum te ablego; illinc re-
 stius, quæ ad hoc argumentum spectant, petes; illius enim iudicium hinc
 meum facio. Doctrinam huc etiam arcesso; quam vis hinc alii secus.
 Magnos animos, & populo aliquando præfuturos sibi relinqui vo-
 lunt, ut potiùs secundum normam naturalis iudicii, quàm ex superfluo
 acumine suo Reipublicæ utilitatem æstiment. Nec repugno quidem,
 si de superfluo acumine sermò sit. Sanè enim odi cum Pacuvio apud
 Gellium homines ignavà opera, Philosophà sententià; qui doctrinà
 ore tenus exerciti, animum bonis artibus non induerunt. Tac. Ann. 15.
 45. 3. Æschili dictum inculcò: Qui fructuosa, non qui multa scit,
 sapit. Nec scholæ quicquam, sed vitæ omnia discenda sunt. Senec.
 Ep. 106. in fin. Inepti plerumq; ad Rempubl. acutuli isti, & ferè
 pro consilio nihil certi expediunt; quippe in varietate rationum pro
 utraque parte ut plurimum natantes. Possem hinc quædam appositis

& verè; sed fileo. Illud certum, multos solo ingenio duce, ad eam
 sapientiam provectos, ut patriam firmare legibus, armis amplificare,
 consiliorumq; suorum felicissimo eventu orbi venerabilem reddere
 scirent, quamvis literas omnino ignorarent. Quorum hominum
 hoc pessimum fatum est, quòd illi de schola eos à classe hominum ma-
 gnorum accent; quasi in eam magnitudinem non paterent ingenia,
 nisi quæ Græcè aut Latinè scirent. Sed ò vos simplices, & ignoscite
 verum dicenti, fatuos! Nescitis, heu! vani, nescitis, quid sit sapere.
 Eorum, qui Reipubl. præsumt, qui vitam benè, beateq; agere nos do-
 cent, vera sapientia est; vestra autem, quæ talis audit, non nisi ejus um-
 bra, & imago, & cortex meretur dici. Sed hæc ita hæctenus, ut con-
 tendam; ad magnum virum non omnino necessariam doctrinam ef-
 se; quam tamen, cave, spernas, quin tu eam potiùs, quam potes, co-
 piosissimè hauri; & ita habe; Nullam magis compendiarium viam ad
 Bonum Politici, quod quæris, ducere, quàm hanc doctrinæ. Vis ejus
 in percolendis ingeniis admiranda; præcipuè si in eximiam naturam
 incidit. Eleganter & acutè Stagirites mentem, ait, à doctrina lumen
 accipere, ut à circumfuso aere aspectum. Et sanè uti ager, licet ferti-
 lis sit, sine cultura fructuosus esse nequit; ita nec animus sine doctri-
 na. Hæc omnes errores evellit, vanitatem succidit, licentiam am-
 putat, ingenii luxuriam depascit, rationis motùs confirmat, verita-
 tis vim attollit, omni demum ex parte animum eleganter expolit.
 Hinc ab omnibus gnæviter quærenda; sed à nostro Politico imprimis.
 Vegetium audi in proem. lib. de Re. milit: Neminem, ait, magis de-
 cet vel meliora scire, vel plura, quàm principem, cujus doctrina omni-
 bus potest prodesse subjectis. Et sapientissimus Seneca eosdè illos, qui
 Reipubl. gubernacula tenent, ablegat ad naturam, & prisca illius seculi,
 quod aurei nomè meretur, integros & incorruptes mores in tuerijubet.
 Naturæ est, inquit, potioribus deteriora submittere. Mutis gregibus aut
 maximacorpora præsumt, aut vehementissima. Non præcedit armenta
 degener taurus, sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit. Ele-
 phantorum gregem excelssimus ducit, inter homines pro summo est
 optimus: Ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat
 potentior esse, nisi melior. Tantum enim, quantum vult, potest, qui se
 nisi quod debet, non putat posse. Illo ergo seculo, quod aureum per-
 hibetur, penes sapientes fuit regnum; continebant manùs, & infirmi-
 ores

ores à validioribus tuebantur. Svadebant, dissvadebantque, & uti-
 lia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid idesset
 suis, providebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat,
 amabatq; subditos, officium erat imperare, non regnum. Nemo
 quantum posset, adversus eos experiebatur; per quos coeperat posse.
 Quàm graviter hæc & acutè, ut solet, Seneca? Nimirum cum Platone
 optima censebat imperia, ubi vel Philosophi regnarent, vel Philoso-
 pharentur reges. Sed rectè hæc & cum modo capienda. Veros Phi-
 losophos intelligit, non tales, quorum omnis sapientia inter aliquot
 controversiarum ambitum est clausa. Vim etymi oportet spectes,
 non verò loquendusum. Sinas mirari soleo, cum lego eorum hi-
 storiam; jam antiquissimo apud eos tempore tantum eruditioni pretiũ
 constabat, ut ad suprema munera non aliis nisi Philosophiæ iretur gra-
 dibus. Sed quò à me hæc in literarum præsidium? Tu si plenè non-
 dum fidem adhibes; Cæsares, Alexandros, & alios, qui in veterum re-
 centiorumque monumentis vivunt, consule; & disces, quàm difficul-
 ter ars illa rectè gubernandi Rempubl. ab hac literarum possit sejun-
 cta esse. Quippe mutuam sibi hæc duo auxilium præstant. Regit
 literas, ne fordescant, sublimis, & ad sui seculi morem facta calliditas;
 quam invicem literæ armant, ne expertis tantum rebus, sui que tempo-
 ris notitiã nitatur, sed peritiã quoque & laboribus antiquitatis; uti
 Euphormio Satyricus, sub quo nitidissimus Barclajus ludit, in Icone a-
 nimorum loquitur. Sed unde petet Politicus hanc, quam quærimus,
 & quæ ad Summum illud Bonum ducit, doctrinam? Arcanum hoc sa-
 pientis cujusdam dictum in ibe: Non multâ lectione, sed crebra pau-
 corum lectorum meditatione sublimem scientiam comparari. Et di-
 sces tu quidem Politicam, sed veram; & rectè disces. Ex umbratili,
 & quæ præter nonnullarum vocum explicationem nihil exhibet, matu-
 rè; exi; liberali illâ te imbue; quæ præcepta regendi populil genui-
 nè docet. In eligendo Doctore utaris arbitrio tuo. Ego certè, si ab
 historia recedamus, quæ ad hunc scopum imprimis facit, neminem
 meliorem censeo, quàm J. Lipsium, qui in Politicos suos libros magno,
 sed utilissimo labore, optima quæque congeffit. Hunc tu evolves,
 quamdiu voles; tamdiu autem velle debebis, quoad eum nondum in
 succum quod ajunt, & sanguinem convertèris. Sed audi, ut pruden-
 ter & cum cautione fiat. Nam & nãvos suos habet ille liber. Præ-
 cipue

cipuè ubi de religione, de fato, & hæresi punienda tractat, intuta, lubrica & nec satis cõstantia vestigia ejus sunt; quæ proinde non nisi cum perito ductore inibis. Et hæc tibi, Politice, disciplina propria & præcipua cæteras quæ aut mores formant, aut patrias LL. explicant, aut naturæ arcana docent, tantum cognosces, quantum ipse judicabis instituto tuo vel necessarium esse, vel saltem utile. His mediis instructus scies ex Reipubl. utilitate actiones tuas rectè metiri; quod si facies constanter, acquires habitum illum, in quo Summum Politici Bonum statuimus.

Δόξα τῷ Θεῷ

COROLLARIA.

I. Ars Mnemonica haut inane cerebri figmentū est, suumq; fundamentū in phâtafia ordinataque rerū vocabulorumque dispositione habet. II. Immaterialitatem animæ, quamvis à Magnis Viris negetur, haut obscurè ex lumine naturæ deduci posse, existimem. III. Cùm dubitat homo, an actio, quam vult suscipere, moraliter bona sit, an mala, tamdiu eam suspendere tenetur, donec eam bonam esse, certò confiterit, quod secus in rebus indifferentibus, ubi sæpè in usu vitæ, nisi agendi occasionem è manibus velimus dimittere, quod verisimilius est, vel si neutrum tale apparet, alterutrum tamen rectè amplectimur. IV. Quandocunque voluntas nostra cogitur ad actū imperatū, cogitur etiam ad actum elicitem; cùm ille hunc semper præsupponit. V. Hominum, quibus ratio in exilio, & quorum nulla voluntas est, actiones malæ nullam merentur poenam. VI. Obligatio non nisi ab eo introduci potest, qui obligandi justas causas habet. VII. Naturalis sui defensio, cum alterius cæde conjuncta, etiam adversus eum est licita, qui nos sine dolo aggreditur. VIII. Qui in aperto campo injustè invaditur, non est præcisè ad fugam, cùm ea sæpè periculosa sit, obligatus. IX. Nullum ex attributis divinis ita nobis notum est, ut comprehendatur à nostro intellectu; quamvis ab eo clarè & distinctè cognosci, sine absurditate dici queat. X. Promissionem, quæ ob turpem causam facta, etiam post commissum facinus, in validam esse, contra Grotium rectè asseritur.

